

præstando consensu præbebant; quia pro præstando consensu certam summam pecuniam accipiebant; idque in redemptionem juris quod ad decimas habebant; vocabantque redemptionem Ecclesiarum sive altarium.

XXIV. Refert Goffridus Abbas Vindocinensis lib. 3. Epist. 12. Urbanum II. in Arvernensi Concilio hanc Altarium redemptionem judicasse & declarasse Simoniacam: "Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgari hoc vocabulo Altaria nuncupantur, beatus Vir (Urbanus II.) Simoniacam pravitatem vocavit, & Apostolica auctoritate damnavit.

XXV. "Difflicuerat hoc vitium Gregorio VII. qui Diesi Episcopo Legato suo interdicens præceperat illud commune malum pene totius terra, videlicet quod altaria venduntur. Lib. 4. Epist. 7. Sed definitioni Concilii fraus deinde facta ab Episcopis, qui annuo censu, licet levi, Ecclesias onerabant. Sicque eveniebat, ut per singulos annos particulari solutione exigerent quod per intervalla ex Vicariorum seu personarum substitutione percipiebant.

Vehementer hanc fraudem exagitat citatus Goffridus in laudata Epistola; cujus verba refert Petrus De Marca Archiepiscopus Parisiensis in notis ad Canonem VII. Concilii Claromontani sub Urbano II. ubi latè de hac Ecclesiarum & altarium redemptione agit; refertque quoddam rescriptum Paschalis II. Papæ, "ubi & mentio fit alterius fraudis, ab Episcopis excogitata; qui mutato nomine, non pro Altarium, sed pro personarum redemptione à se pecuniæ exigi dicebant: id est, non ratione Altarium per Vicarios, sed pro Vicariis. "Habentur hæ notæ tomo 10. Concil. general. col. 578.

Interim quia Episcopis ex consensu illo præstito lucrum aliquod cedebat; mirum! quanta decimarum copia ad Monasteria, & Canonicorum Collegia, etiam Episcopis consentientibus, transiverit: præsertim quia sapius Laici induci non poterant, ut eas Ecclesijs Parochialibus restituerent.

XXVI. Accedebat, quod quidem laicis vetitum esset, decimas sine consensu Episcopi Monasteriis dare, addita tamen erat hæc clausula, "Qui (Episcopus) si forsitan improbitatis aut avaritiæ causâ consentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & cum ejus licentia, quod offerendum est, offeratur." Ita Concilium Melitanum sub Urbano II. Can. 5.

XXVII. Itaque ubi Episcopus consensum negabat, recursum ad Pontificem patebat; à quo opportunè importunè consensum sollicitabant, & non raro extorquebant; & privilegia recipiendi decimas renuente etiam Episcopo obtinebant: cujus generis privilegiorum plurima extant rescripta in tabulariis Ecclesiasticis, ait De Marca loco citato.

XXVIII. Porrò hæ & similes decimarum ad monasteria devolutiones non omnibus, etiam Monachis placebant; eò quòd per illas qui Altari serviebant, proventus Altaris defraudarentur; & qui altari non serviebant, de altari viverent: & quòd erat seminantium spiritualia, à non seminantibus possideretur.

XXIX. Graphicè id describitur in Epistola quæ sub nomine Hugonis Abbatis Cluniacensis, & S. Bernardi Abbatis Clarevallis habetur ad calcem Epistolarum Ivonis Carnotensis ad Monachos Majoris Monasterii, qui super decimis alicujus Parochiæ cum aliquibus Canonicis disceptabant, in qua præter alia dicitur: "Quid quòd de altari contenditur, & hoc adversus filios Levi, id est, adversus Clericos; Clericorum est altari deservire, & de altario vivere. Nobis nostra professio & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, & non ex sanctuario Dei. Huc accedit, quòd eidem Ecclesiæ de qua præsens disceptatio est, Clerici soli deserviunt, vosque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus clamat pro Clericis,

inò ante ipsum Moyses: non alligabis os bovi trituranti. Item: Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edet? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Vos autem per contrarium convenimus. Quæ audaciâ, O Monachi, præsumitis seu vinum de vinea quam non plantastis, seu lac de grege quem non pascistis? Quo pacto ibi exigitis ubi nihil exhibetis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, sepelito morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, absolvite resipientes, reconciliate penitentes: & in medio denique, Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere & tacere. Sic fortasse dignum se probabit mercenarius mercede sua. Alioquin invidiosum admodum est, velle metere ubi non seminaveris. Sed & colligere quòd alius sparserit, etiam injuriosum.

XXX. Scimus Monachos illos, quibus Ordo Cisterciensis sua primordia debet, decimarum possessionem non probasse; inò earum possessionem dedisse occasione de Monasterio se subtrahendi, & ad Cistercium eremum confugiendi. Rem ipsam, atque eorum sensum exponit Sigebertus Gemblacensis ad annum 1167. "Abbas Cistercii & fratres ejus, non immemores pensionis suæ, regulam beati Benedicti in loco illo ordinatam unanimiter statuerunt tenere, rejicientes à se quicquid Regulæ refragabatur. Exuvi veterem hominem, novum se induisse gaudebant. Et quia nec in Regula, nec in vita Sancti Benedicti legebant eundem Doctorem possidere Ecclesias vel Altaria, vel decimas aliorum hominum, ideò hæc omnia abdicaverunt. Decimas aiebant à sanctis Patribus, qui organæ, tant Spiritus Sancti, quorumque Statuta transgredi est sacrilegium committi, in quatuor portiones distributas, unam scilicet Episcopo, alteram Presbytero, tertiam hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, sive pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computu personam Monachi, qui terras suas possidet, unde & per se & per sua pecora sua laborando vivat, non reperiebant, idcirco hæc veluti aliorum jus iniuste sibi usurpare detrectabant.

XXXI. Cum verò hæc decimarum occupatio Abbatibus & Monasteriorum æconomis præcipue imputaretur, nonnulli Monachorum & Regularium eo deveniebant, ut crederent, Abbates decimas sibi afferentes & possidentes esse in statu damnationis; atque propterea probos Monachos se ab iis separare debere, & Monasteria deserere; ut colligitur ex Epistola 192. Ivonis Carnotensis, ubi Sancti Augustini varia, quæ bonis à malorum intra Ecclesiam communionem nullum esse contagium timendum docent, testimonia adducit, dein pergit: "Hæc & nis similia, Præcones hujusmodi (non intelligentes aut non legentes) suadent Monachis, ut Monasteria sua deserant propter Abbates suos & Procuratores Monasteriorum suorum, qui aliquas decimas, quæ jure pertinent ad dispensationem Episcoporum, monasteriis suis adquisierunt. Dicant mihi tam subtiles divinarum judiciorum scrutatores, quid salubrius sit Monachis, utrum permanere cœnobitas sub præpositorum suorum obedientia quæ melior est quam victima, & ibi vivere de decimis & fidelium oblationibus, quas Ecclesiæ lege caritatis communicare potest non tantum monasteriis, sed etiam zenodochiis, infirmis & peregrinis: an fieri Sarabatas, ut in privatis locis proprio jure vivant, & victum sibi de substantia pauperum per manum raptorum, & de cœnore negotiatorum accipiant.

XXXII. Post hæc ait: "Licet enim decimæ & oblationes principaliter clericali debeantur militia; potest tamen Ecclesiæ omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus qui relictis facultatibus propriis non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum.

XXXIII. Agnovit ergo Ivo, decimas principaliter Militiæ Cleri-

Clericali debent; Monachis autem ut pauperibus posse communicari. Eandem mentem Concilii Trecentis, & S. Bernardi fuisse (qui huic Concilio interfuit, & cujus operâ potissimum exarata est in eo Concilio regula Templariorum) patet ex cap. 66. ejusdem regulæ: "Credimus namque relictis affluentibus divitiis spontaneæ paupertati esse subiectos, unde decimas vobis in comuni viventibus iuste habere hoc modo demonstrabimus. Si Episcopus Ecclesiæ, cui decimæ iuste debentur, vobis caritative eam dare voluerit: assensu communis Capituli id illis decimis quas tunc Ecclesiæ possidere videtur vobis attribueri debet. Si autem Laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio suo damnabiliter amplectitur, & seipsum in hoc valde redarguens, vobis eandem reliquerit: ad nutum ejus qui præest tantum sine consensu Capituli id agere potest.

Hic notandum distingui inter decimas ab Ecclesiis possessas & decimas à Laicis hæctenus detentas: ut priores, tamquam jam realiter spectantes ad Ecclesiam per Episcopum sine consensu Capituli Militibus Templi dari nequeant; posteriores verò de solo consensu Episcopi concedi queant juxta Canones supra relatos: quæ distinctio probatur quoque ab Innocentio III. in Cap. 7. De His quæ fiunt à Prælato &c. "Cum aliud sit alienare quòd ab Ecclesiâ possideri: & aliud quòd detinetur à Laico ad usum Ecclesiasticum revocare: ait Innocentius.

Addit & ibidem Innocentius: "Monendus est Laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ ad quam spectat, qui si forte induci nequiverit, & eam Diocæsani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conventui: constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixâ.

XXXIV. Ivo Carnotensis verbis supra relatis, quibus ostendit Monasteriis decimas communicari posse, adjungit quæ circa decimarum receptionem in Abbatibus reprehendenda videantur: "Est tamen in quo Abbatibus & præpositis Monasteriorum parcendum esse non aestimo, si ab illis ad quos non pertinent, id est à laicis decimas & oblationes accipiant, si inordinate eas à quibuscumque personis acquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia Presbyterorum antiquitus instituta minorant ac sibi usurpent.

XXXV. Itaque hoc imprimis attendere oportet Abbatibus aliosque Monasteriorum & Collegiorum Præpositos decimas possidentium, ut stipendia Presbyterorum antiquitus constituta non minorent, ac sibi usurpent; id est, non ita decimas sibi approprient, ut Parochi aliqui Presbyteri curam animarum habentes, quibus decimæ principaliter & de jure debentur, egeant, aut honestâ sustentatione destituantur: sed de hoc latius titulo sequenti.

XXXVI. Præterea attendant Prælati alique curam animarum non habentes, & decimas possidentes, eas tamquam pauperibus ex sententia S. Bernardi & Ivonis sibi esse communicatas; uti & S. Thomas loco citato afferit, dicens: "Quibusdam Religiosis Laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum elemosinæ.

Hinc facile est concludere, speciali titulo magnâ moderatione & frugalitate decimis à Religiosis utendum esse, cavendumque, ne eas in luxum aut usum prophanos impendant.

XXXVII. Beatus Petrus Damiani Lib. 2. Epist. 14. laudans nonnulla sui temporis Monasteria à largis elemosynis quas in pauperes effundebant, inter cætera dicit: "E-nim verò, ut copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monasteriis & Eremis decimæ quorumcumque proventuum, & non modo pecorum, sed etiam cornicum pariter & ovorum.

Horum verborum sensum nonnihil dubium esse notat Christianus Lupus tomo 5. Schol. in Canones pag. 190. Affirmat videntur, quòd idèd invasas olim à laicis Deci-

mas transferri in Monasteria atque Eremos jam permit-tat Ecclesiæ, ut Abbates & Præpositi, tamquam fideles dispensatores ipsas dividant in pauperes. Et hoc omnino sine laicis ipsas in varia hinc inde Monasteria transfule-runt. De Monachorum enim potius, quàm de Clerico-rum futura in pauperes pietate confidebant. Alii à Petro Damiani laudari existimant quædam Monasteria, quòd omnium suorum proventuum decimas darent pauperibus. Quidquid sit, certum & clarum est, quòd decimas possidentia Monasteria, ac etiam Clericorum Collegia seu Capitula ad largas elemosynas, non tantum ex charitate, sed omnino ex rigida justitia obligentur.

Deinde paucis interpolitis addit: "Et Monachorum si-dem à piis olim laicis fuisse electam ad hoc opus, jam dixi, & rursum dico. Quòd ab ejusmodi Monasteriis est perpetuâ memoriâ retinendum. Electa sunt ad ipsas dispensandas potius, quàm possidendas.

De hac Monasteriorum ad elemosynas in pauperes & hospites elargiendas obligatione, & quanta liberalitate Monasteria & Canonicorum Collegia jam pridem opera misericordiæ exercuerint, ut propterea & Hospitalia & Domus Dei vocari meruerint, ostendetur infra titulo De Hospitalibus & piis locis.

XXXVIII. Cum verò de jure & ex intentione offerentium decimæ principaliter debeantur Parocho intra cujus limites excrescunt, ut ex iis & sua necessaria habeat, & reliqua in pauperes suæ Parochiæ & alios pios usus dispen-set, non dubium est, quin pauperibus Parochiæ ex decimis intra limites illius collectis, speciali titulo succurri conveniat; eorumque specialem rationem à Decimatoribus haberi.

Synodus Londinensis anno 1342. invenitur in Religio-sos obtinentes incorporatas sibi Ecclesias & decimas, & indigentibus Parochianis non succurrentes, statuitque Can. 4. "Quòd Religiosi prædicti Beneficia appropriata, obtinentes Ecclesiastica, secundum beneficiorum hujusmodi Facultates, annis singulis, pauperibus Parochianis, circa elemosynæ quantitatem ipsorum locorum ordinariorum moderandam arbitrio, per Episcopos ipsos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis & subtractionis fructuum proventuum beneficiorum hujusmodi, donec in præmissis paruerint competenter. "V. Boniface tom. 3. lib. 5. tit. 14. cap. 1. & 4.

CAPUT VI.

De Decimis novalibus & minutis.

- 1. Quid novale de jure Civili.
2. Innocentius III. definit Novale.
3. Strictius accipit Novale, quàm jure Civili accipi-tur.
4. Hac definitio præcipue concernit indulgentiam à no-valibus.
5. Hac Indulgentia tamquam contraria furi commu-ni strictè interpretanda.
6. Indulgentia hæc non procedit si multum præjudices Ecclesiæ Parochiali.
7. Non sequitur ex responso Innocentii, Novale semper tam strictè sumi debere.
8. Licet ager non esset novalis in casu istius indulgentiæ, posset tamen esse novalis in favorem Parochiæ.
9. Consuetudo habet pro novali agrum qui protulit fructus non decimabiles.
10. Ex scopo Innocentii III. videtur hic ager posse dici novalis.
11. Innocentius respexisse videtur ad emolumentum ex agro Ecclesiæ Parochiali proveniens.
12. Idipsum notavis Glossographum.

- 13. Canonista videntur eam rationem attendisse.
- 14. In judicando quid sint novalia, attendenda consuetudo; Et in dubio pro Parocho judicandum.
- 15. Speciali titulo Novalia Parocho competunt.
- 16. Synodus Burdigalensis monet restitui Parochis novalia.
- 17. Innocentius III. declarat decimas novalis non comprehendit sub jure percipiendi decimas.
- 18. Idipsum declarat Alexander IV.
- 19. Nisi speciali titulo novalia ad aliam quam Parochum spectare offendantur, adjudicanda sunt Parocho.
- 20. Juri communi consonat praxis.
- 21. Etiam Vicario perceptio competunt novalia.
- 22. Etiam si Vicario tantum competat exigua portio decimarum veterum, etiam minutarum.
- 23. Quid si nulla decima, sed tantum portio congrua in pecunia?
- 24. Quomodo intelligendum privilegium datum Monasteriis percipiendi novalia.
- 25. Olim Principes Belgii pretulerunt novalia; sed eis postmodum renuntiaverunt.
- 26. Quid decima minuta?
- 27. Competunt & ha speciali titulo Parocho.
- 28. Decima uno tempore & loco minuta, alio sunt majores.

**D**ecimas novalis dictas esse ab agro novali nemo dubitat. Ut ergo sciamus quid sint decimae novalis, inquirendum quid sit ager novalis.

In Lege 30. ff. D. V. S. dicitur, *Novalis est terra praecisa qua anno cessavit.* Et in L. 3. §. 2. *De Termino moto.* "Hi quoque qui finalium quaestionum obscurandarum causa faciem locorum convertunt, ut ex arbore arbustum, aut ex sylva novale aut aliquid hujusmodi faciunt, poena plectendi sunt pro persona, & condicione, & factorum violentia."

Ex his Juris. Consulti statuerunt, terram praecisam quae anno cessavit vel sylvam, quae arboribus extirpatis, ad culturam redacta est, terram novalis esse.

II. Utriusque hujus interpretationis sive definitionis ex Jure Civili desumptae meminit Innocentius III. in Cap. 21. §. De V. S.

Interrogatus enim ab Episcopo Cæsaraugustano, quid per novale intelligatur, ubi à Pontifice concessum fuit Privilegium de non solvendis decimis ex agris novalibus, respondit: *novalis est terra quae anno cessavit, aliis adferentibus, quod ex sylva, quae arboribus extirpatis ad cultum redigitur, fieri novale dicitur: quarum utraque interpretatio ex civilibus legibus colligitur.* Nos igitur inquit sit. t. r. quod eam credimus praedecessorum nostrorum intentionem fuisse, cum piis locis indulgentiam de novalibus concesserunt, ut novale intellexerint agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset.

III. Pontificem in strictiore significatione accipere Novalis, quam in Jure Civili videbatur accipi, sat manifestum est; concluduntque hinc Canonistae, in hac materia decimarum, agrum Novalis non dici terram praecisam quae anno cessavit: sed illam de qua non extat memoria quod aliquando culta fuerit.

IV. Insuper ex verbis Pontificis satis intelligitur, ipsum duntaxat voluisse docere, quid per Novalis intelligeretur ex mente Pontificum dum quibusdam piis locis indulgentiam de Novalibus concesserunt; hoc est, exemptionem solvendi decimas ex agris novalibus.

V. Hanc autem indulgentiam esse contrariam Juri communi, quod vult ex omnibus agris, & ab omnibus indifferenter decimas solvi, expeditum est; & per consequens,

privilegia haec sive indulgentias tamquam odiosa strictissime esse interpretanda & accipienda; ut quantum fieri potest, à jure communi non recedatur, & decimae integrè solvantur Ecclesiae Parochiali.

VI. Hinc eodem loco addit Pontifex: "Sed nec de quo libet tali novali credidimus ei indulgentiam fore concessam, nisi de illo duntaxat, cujus decimam Religiosus potest Conventus absque gravi detrimento Parochialis Ecclesiae detinere: cum talis sit saepe locus incultus, de quo Parochialis Ecclesia magnos percipit decimarum ratione proventus."

Non ergo mirum si in strictiore significatione vocem Novalis esse accipiendam responderit Pontifex: eo quod ageretur de interpretatione privilegii contra jus commune.

VII. Licet ergo Pontifex in hoc casu per novale dixerit, ex verisimili mente Pontificem intelligi, agrum de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset; non sequitur, quod tam strictè intelligi debeat, ubi non de privilegio juri communi contrario agitur; sed de casu quo per latioris interpretationem ad jus commune propius accederetur.

VIII. Ut igitur supponeretur in casu hujus Decretalis agrum non habendum pro novali qui quidem cultus fuisset; sed haecenus numquam fructus decimabiles protulisset; ut in multis partibus tunc praxi, quae quidem sanum profuerunt sed non decimabile ex speciali locorum consuetudine; nullatenus inde consequens esset, hujusmodi agrum non esse novalis, dum agitur de vindicandis aut conservandis decimis novalibus ipsi Parocho, contra alium Decimatorem.

Hoc quippe casu, quo latior fit interpretatio agri novalis, eo magis ad jus commune, quod omnes decimas Parocho assignat, accedit: atque ita hinc locum habet regula, *Favorabilia sunt amplianda.*

IX. Illa interpretatio multis in locis etiam consuetudini consonat: quae passim pro agro novali in favorem Parochi habet, praxi, item silvas de quibus non extat memoria, quod aliquando ad culturam ita fuerint redacta, ut fructum decimabilem protulissent; sed nunc primum ad culturam talem redacta sunt; ut fructum decimabilem proferant.

X. Quin si scopus factae interpretationis ab Innocentio III. in citato Cap. 21. attendatur, & non solus exterior verborum cortex, apparebit, interpretationem novalis quam consuetudo multis in locis probavit, à mente Pontificis non esse distortam; ipsumque potius attendisse, num ager novalis fructus decimabiles protulerit, quam an numquam absolute & simpliciter ad culturam redactus fuerit.

XI. Voluisse enim videtur Innocentius declarare, mentem suorum Praedecessorum haud fuisse, per suas indulgentias de novalibus piis locis concessas praedecedere Ecclesiis Parochialibus in jure jam quaesito; sive in decimis quarum possessione jam essent, aut fuissent, quod non fieri credidit, si per novalis intelligeretur ager ille de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuerit: Cum enim ex tali agro Ecclesia numquam decimas perciperit, etiam novalis proprie videtur laedi in jure jam quaesito; sive potius decimas ei non auferri in quarum possessione aliquando eam fuisse constaret.

Verbo, id unum attendisse videtur Pontifex, num ex agro de quo agitur, aliquando emolumentum aliquod habuerit Ecclesia Parochialis, quo per similem indulgentiam privaretur; atque eo casu ex mente concedentium indulgentiam de novalibus, agrum illum non videri novalis in ordine ut sub illa indulgentia comprehenderetur; secus, si non extet memoria quod aliquando emolumentum aliquod Ecclesia Parochialis ex illo perciperit.

XII. Id jam pridem notasse videtur Glossa ad 4. §. De Decimis verbo, *Parochis*, ubi observat, *Novalis* dici in Cap. 21.

De V. S. "Unde Ecclesia Parochialis nihilante percipiebat, vel ita modicum quod sine lesione poterat illud amittere." Ex quo ulterius concludit: "Erit ista pascua (de quibus dicto) cap. 4. non erant prius inutilia, vel area sive domus; unde non deberent dici Novalia per Cap. 21. De V. S."

Planum ergo est, Glossographum credidisse, hoc unum attendendum esse, ut de agro aliquo statuatur, Novalis sit, vel non, an aliquando aliquod emolumentum ex illo habuerit Ecclesia Parochialis.

XIII. Sed & ipsi Canonistae eam interpretationem Novalium non obscure insinuant, dum communiter pro ratione ob quam sub praescriptione juris decimandi non comprehendantur novalia allegant: *Quia non plus praescripsum, quam possessum;* id est, cum in agro novali numquam decimae excreverint, non potest quoque praescribens fuisse in quasi possessione percipiendi decimas ex hoc agro. Quae ratio aequè militat in agro qui quidem aliquando cultus fuisset; sed de quo non extat memoria, quod aliquando fructus decimabiles protulerit; quam de agro qui absolute & simpliciter nunquam cultus fuit; ut sunt myricae.

XIV. Interim hoc indubitatum est, hoc in articulo, uti in hac tota Decimarum materia multum consuetudini esse tribuendum; & si consuetudo dubia sit, eam in favorem Parochi esse interpretandam; utpotè cui decimae intra limites Parochiae excreverunt de jure competunt.

XV. Illud ulterius certum est, decimas novalis speciali titulo & jure Parocho competere.

In Concilio Burdigalensi anno 1255. Can. 31. dicitur: "Licet per Canonica statuta decimae ad Parochiales Ecclesias pertinerent noscantur; quaedam tamen Ecclesiae ex praescriptione, alia ex consuetudine veteres decimas possideant in alienis Parochiis: nonnulli Ecclesiastici nullo jure suffulti, sed avaritia & pertinacia sola ducti, decimas in animarum periculo detinere praesumunt." Ac dein subjungitur: "Sed his tam Clerici, quam laici non contenti, ad novalia quae specialiter Parochialibus Ecclesiis jura reservant, extendunt illicite manus suas & eadem Ecclesiae omnino jure suo, quoad novalium decimas, defraudant. Volentes igitur praesumptioni Clericorum & laicorum, prout pollumus, obviare, & Ecclesiarum indemnitas providere: omnibus omnino prohibemus, ne quisquam de cetero, clericus aut laicus, occasione veteris decimae novalia recipiat: sed ea Parochialibus Ecclesiis in quibus novalia excreverunt liberè possidenda permittat, usibus ministrorum Ecclesiae profutura. Si vero quisquam temerarius hujusmodi constitutionis contemptor, novalia de cetero receperit in parochiarum vicariis, & gravamen ipsius ex consuetudine vicariatus innoctans."

XVI. Post haec Can. 22. "Monemus etiam omnes illos qui à triginta annis vel citra, hujus novalia ceperunt, ut infra duos menses sine difficultate restituant Ecclesiis, ad quas pertinere dignoscuntur, de cetero liberè possidenda." Ne verò quisquam per negligentiam ab his sententiis se valeat excusare, praecipimus hanc constitutionem per Praesbyteros frequenter in suis Ecclesiis praedicari.

XVII. Speciali igitur titulo decimas Parochialibus Ecclesiis deberi supponit Concilium, conformiter ad responsum Innocentii III. in Cap. 29. §. De Decimis.

Propositum fuerat Innocentio: "Cum in quibusdam Parochiis ad quasdam Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de novo sicut novalia in eisdem, ad quam hujusmodi novalium decima incipiat pertinere." Respondit Innocentius: "Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, decimae novalium, quae sunt in Parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur, nisi ab his, qui alias percipiunt decimas, ra-

tionis causa ostendatur per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.

XVIII. Idipsum non minus clarè expressit Alexander IV. in Cap. 2. §. fin. De Decimis in 6. "Nec pro eo quod forte in aliquibus Parochiis omnes majores Decimas seu partem illarum acquirunt de manibus Laicorum, possunt pro eadem vel simili portione (si de novo postmodum sicut novalia) in eisdem petere, vel percipere novalium decimas eorundem, nisi alia rationalis, per quam hoc facere valeant, causa subit."

XIX. Ex his aliisque Juris textibus unanimi consensu concludunt Canonistae, quod licet perceptio decimarum in aliqua Parochia ab antiquo pertineat ad Capitulum vel Monasterium, nullum tamen jus competat ad Novalia; sed illa de jure maneant sive pertineant ad Ecclesiam Parochialem; nisi ostendatur causa rationalis; puta privilegium aliunde specialis & Canonice ac rationalis titulus, quo nominatum perceptio novalium Capitulo aut Monasterio sit indulta.

XX. Juri communi consonat praxis, quae Parochis adjudicat decimas Novalis exclusis Capitulis & Monasteriis aliisque Glossis, ut vocant, Decimatoribus; idque indubitatum esse per supremorum Tribunalium arresta notat Johannes Tournetius in sua Collectione arrestorum Litt. D. n. 97. referens ibidem plura arresta quibus decimae novalis adjudicatae fuerunt Parocho. Item n. 68.

XXI. Cum autem hodie inter Vicarium perpetuum & Curatum sive Parochum, quoad exercitium curae animarum & jurisdictionem spirituales nulla sit distinctio; sed ferè penes solum nomen, aut subinde penes aliqua jura honorifica distinguantur, receptum quoque est, novalia non minus ad Vicarium perpetuum, quam ad Curatum pertinere; atque id in Curis sive Parliamentis teneri notatur Cent. 1. cap. 15. Claudii Le Prestre; Verba sunt: "La difficulté est de sçavoir si celui qui n'est que Vicaire perpétuel, est aussi fondé en la perception des Novalis, au préjudice du curé primitif, auquel appartient les grosses dixmes. Et semble que non, par ce que il n'a qu'une portion congrue, laquelle il peut demander estre accrue par le Curé primitif au cas qu'elle ne soit suffisante. Tou tefois on tient au Palais que le Vicaire perpétuel est fondé au droit de Novalis, quia sunt jurisdictionis." Id est Nodus ille difficultatis est ut sciatur an ei qui solummodo Vicarius perpetuus est, in praedictum Pastoris primitivi jus competat percipiendi Novalia, cum ad primitivum spectent magna decima. Et videtur non competere, cum non habeat nisi congruam portionem cujus augmentum à primitivo percipiendi non potest. Id est Nodus ille difficultatis est ut sciatur an ei qui solummodo Vicarius perpetuus est, in praedictum Pastoris primitivi jus competat percipiendi Novalia, cum ad primitivum spectent magna decima. Et videtur non competere, cum non habeat nisi congruam portionem cujus augmentum à primitivo percipiendi non potest.

XXII. Plura Parliamentorum arresta recitat Julianus Broudeus ad Louëtium Litt. D. n. 52. judicatumque, omnia novalia pertinere ad Vicarium perpetuum, quae à 40. retro annis de novo ad culturam redacta fuerunt.

Idque obtinere ait, tamen ipse Pastor primitivus aut alius reciperet omnes decimas majores sive grossas, & insuper majorem partem minutarum.

Unde & Wamesius noster Consilio Can. 446. resolvit, Pastorem esse fundatum in asserendis sibi decimis novalibus, si vel aliquas etiam minutas decimas in Parochia percipiat; posseque pretendere per totum Parochiam suae districtum Novalia, tametsi ipse tantum esset in possessione percipiendi veteres decimas in certo districtu Parochiae.

XXIII. Imò si Carolo Fevretio in tractatu De Abusu lib. 6. cap. 1. n. 10. credimus, plura sunt Arresta Parliamentorum quae Vicario perpetuo adjudicaverunt novalia, tametsi Vicario assignata esset certa portio congrua in pecunia, in Pastorem primitivum translato omni jure & censu Pastoralis.

Verum si integrè Vicarii competetia, sive portio congrua